



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem  
Varia Ervditione Noviter evoluta**

**Pexenfelder, Michael**

**Monachii, 1675**

6. Aries Phryxæs symbolicè.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

cæde fraterna eruento, & meliora desperanti, dicitur: *Subter te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius.* Non enim est æquum, ut servus, scil. Appetitus imperet: Ratio verò tanquam regina ac domina seruiat. Concupiscentia cedendo augetur: minuitur resistendo. Vox S. Augustini est, serm. 45. de temp. Pugnat concupiscentia; tu repugna: noli eam cedendo satiare, sed resistendo necare. Infessoris magis culpa est, quàm equi, si excutiatur. Non has affectiones habendo, sed eis malè utendo, delinquimus, ait S. Prosper. Et veterum Patrum dictum est: *non nocet sensus, si non adsit consensus.* Ad Stoicos est ableganda ἀπάθεια, seu affectuum vacuitas. Non est arbor solida, neque fortis, inquit Seneca, nisi frequens ventus incurset; ipsa enim vexatione confringitur, & radices certius figit: fragiles sunt, quæ in aprica valle creverunt. Virtutis cos est insultus appetitionum; induratur miles pugnando, & sibi dictum putat:

Tu ne cede malis, sed contrà audentior ito.

VI. (f) Neque aries Phryxæus nobis prætereundus est, cum multiplex ex eo doctrina suppetat. Nam 1. Quòd Phryxum & Hellen per alta vexerit animal hoc, aurea lanà decoratum, ostenditur, homines per divitias in sublime efferri. 2. Quòd Helle ex eo delapsa in Pontum deciderit, indicatur divitias mentibus infirmis, quales sunt feminarum, plus exitij, quàm emolumenti adferre. 3. Quòd per mare aries vectorem egerit, significatur, navigationes periculosas ad peregrina littora opum augendarum causa institui:

Per mare, per terras currit mercator, & ignes.

Deinde, inviam virtuti nullam esse viam. 4. Quòd pro arietinis exuvijs asportandis, tanta fuerint discrimina suscipienda, denotatur, quanto sit opus molimine ad opes comparandas, & quidem cum salutis non raro impendio; nam tauri flammivomi, pestilentes dracones, armata virorum segetes obijciuntur, ditescere, & possessiones suas extendere volentibus. 5. Quòd præstantissimi quique heroës pro vellere arietino adipiscendo vitam & fortunas suas exposuerint: summæque gloriæ loco duxerint, spoliū hoc è Colchide abstulisse monstratur per symbolum, quibus ornatum oporteat esse dotibus animum heroicum & Principalem. Laudatur in Proverbijs sacris c. 30. *Gallus succinctus lumbos, & aries,* Nam arietis cornua, Aliano teste, elephantus exhorrescit; & quid hæc ad immanem ejus proboscidem? Hoc decet Principem, ut etiam majorem, quàm ipse sit, non timeat, sed timeatur ab illo: potentior est, qui viribus

(f) Phryxæus aries quarum rerum Symbolum.



ribus collectior, quod Salomon innuit per succinctos Arietis lumbos. Deinde dux gregis est Aries. Princeps præcat exemplo. Aries cornibus strenuè decertat; Reptori populi depugnandum est pro subditorum bono. Aries inter sidera locatus denotat ascentationem, quæ Divites, lanâ scilicet aureâ villosos arietes, in cælum attolit. Præterea significatur, viros fortes, & arietinis spolijs indutos, hoc est rebus præclare gestis celebres, famâ super æthera ferri. Equidem Arietem apud veteres Symbolum heroicæ fortitudinis fuisse, Pierius docet lib. 10. c. 26. hieroglyph. Carolus, inquit, fortissimus Burgundionum Dux; Caroli V. Imp. avus Sodalitatem è viris lectissimis instituit, cui ab *Arietino Capite* cognomentum indidit, & singulis aureum hujus animalis caput gestandum dedit. In moneta quoque Galineï Imp. aliquis extat nummus, in quo aries expressus cernitur, cum inscriptione *Iovi Cons. Aug.* Quid quod Jupiter ipse Hammonius, arietinis cornibus ab Ægyptijs representaretur, quem veluti salutiferum, salutisque Deum mirificè venerabantur. atque hoc imitandum magnis est animis, ut beneficentiâ præstent. Et verò constat, jam olim columnis arietina capita adsculpta fuisse, corymbis inde propendentibus, qui foliorum & fructuum varietate lasciviebant. Quò quid aliud innuitur, quàm viros heroicæ fortitudinis (cujus imago caput arietinum est) esse patriæ columnas & colamina, eam quæ virtute sua temporibus belli tuendo: quæ providentiâ tempore pacis gubernando, conservando, bonis omnibus augendo?

In auratam Phryxi arietem sic quidam argutè,

Impia Thebæ fugientem regna Novercæ

Fulva auro Phryxum per freta vexit Ovis,

Post ubi confedit securo in littore Vector,

Ut vellat vellus nobile, mactat ovem.

Nimirum solet hoc auri furiosa cupido,

E secta miseri pelle crumena rubet.

